De corneis humani corporis excrescentiis, quarum generali brvique notitiae singularis casus ... : dissertatio inauguralis ... / auctor Carolus Ferdinandus Ernst.

Contributors

Ernst, Carl Ferdinand.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Guilelmi Leopoldi Krause Bibliopolae, 1819.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/y7p3uxdz

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

16

DE

CORNEIS HUMANI CORPORIS EXCRESCENTIIS,

QUARUM GENERALI BREVIQUE NOTITIAE SINGULARIS CASUS DE HOMINIS CUJUSDAM CORNEIS EXCRESCENTIIS ADJECTUS EST.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

LEGITIME CAPESSENDIS

PUBLICE DEFENDAT

AUCTOR

CAROLUS FERDINANDUS ERNST

LITHUANO-BORUSSUS

DIE XII. M. JUNII A. MDCCCXIX.

H. L. Q. S.

CUM TABULIS DUABUS LITHOGRAPHICIS.

BEROLINI

TYPIS GUILELMI LEOPOLDI KRAUSE BIBLIOPOLAE.

Memorabilia naturae φαινομενα pro incitamentis agnoscamus, quibus sensuum adminiculo ad res studiosius perscrutandas, accuratius contemplandas et inde ad acutiores argnmentationes excitamur.

TILESIUS,

historia pathologica singularis cutis turpitudinis Reinhardi.

VIRO

PRAENOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO

HUMANITATE LONGE CONSPICUO

JOANNI CHRISTIANO PLOEN,

HIPPODROMO REGIO ACADEMIAE EQUITUM BEROLINENSIS PRIMARIO

AVUNCULO OPTIMO

SPECIMEN HOC INAUGURALE

IN SIGNUM AMORIS, REVERENTIAE ET GRATI PRAESERTIM ANIMI

DEDICAT

NEPOS

C. F. F.

Quem medicorum judicio satis memorabilem excrescentiarum cornearum casum hic proponere institui, ille oblatus mihi est in nosocomio regio caritatis, cujus spectatiss. Director, ut eum describerem et delineari curarem, comiter permisit. Ne autem historia omnino emolumento careat et prodigii speciem consequatur, de ejusmodi excrescentiis generalia quaedam praemitto et quae hac de materia varii auctores adnotarunt, pro viribus addam — Arbitri aequissimi indulgentius judicentur hoc commentariolum, cui conscribendo nec tempus nec litterarum copia favebant.

Pluribus animalibus benigna natura sueta lege cornua concessit vel unum vel plura; interdum autem miro quodam lusu animalibus uti et hominibus extraordinario modo locisque insolitis similes excrescentias largitur. Illorum, quae modum adsuetum non excedunt, jam complura nec minima carent scapo osseo, cui ipsi ejusque periostio multi naturae perscrutatores cornuum productionem praeprimis adscribunt, et cum basi solummodo adhaerent cuti atque ab ea procreantur. Quae quidem testantur viri celeberr. (1). — Ita quoque res sese habet cum cornibus in locis insolitis nascentibus, quorum nonnulla quidem basi osseo niti videntur, plurima tamen cuti inhaerere

---

1) C. A. Rudolphi; über Hornbildung. In den Abhandlungen der königl. Academie der Wissenschaften zu Berlin, v. J. 1814 u. 1815, physical. Klasse, pag. 183.

exempla praebent. Animalium, quae inusitatis locis cornua gerunt, haud rara exempla leguntur a veteribus tradita: in Thom. Bartholini epistolis medic. (Centur. I. epistol. 30.) in ejusdem historiarum anatomicarum rariorum Cent. II. (hist. 10 et 86.) et in tractatu de unicornu; in miscellan. nat. curiosor. Dec. I. Ann. observat. XXX. Scholion. etc. — Nuperrime celeberr. Rudolphi de cornu insigni p vis e latere cutis columbinae prodeunte casum memorabilem adnotavit l. citat. — Quibus de excrescentiis corneis iisque praecipue quae in cute humana occurrunt, ac eorum productione hic disserere liceat.

Ab antiquissimis temporibus hae deformitates virorum doctorum attentionem suscitarunt, earumque permulta variis auctoribus enarrata exempla demonstrant: corpus humanum excrescentiis corneis saepe deturpatum fuisse. Attamen quae ex antiquiorum et recentiorum observationibus collegi, accuratae indagationis notam non semper prae se ferunt et multae, si dicere fas est, negligentiam nimiamque festinationem produnt. Quod vitium imprimis antiquiorum observationibus tribuendum. Nonnulli casum nudum, omni explicatione destitutum, tanquam miraculum narrant. Alii relata modo referunt. Et qui solertius aliquanto rem tractarunt, saepe tamen malum cum aliis cutis foeditatibus, verrucis praecipue confundere videntur. Nec defuerunt nosologici, qui hoc malum, in sua morborum systemata suscipientes, tam varie appellarunt, quam diversissimum saepe ineptum locum ei assignarunt. — Sauvagius (1) ejusmodi excrescentias nomine Leontyasis corniculatae (secundae Leontyasis speciei) complectitur. Leontyasin autem (quae genus ei elicit tuberum ordinem classis decimae quartum tenentium) ex papillis setaceis vel corniculatis cutim exasperantibus cognosci definit. Si Plenckius spectatur (2), cornua cutanea, excrescentiarum cutanearum classi subordinata, proprium efficiunt genus (II), et excrescentiae callosae vel verrucosae sed admodum magnae ab illo nuncupantur. Willan (3) generi ordinis II.

1) F. Bossier de Sauvages, nosologia methodica. Tom. III. pars II. pag. 417.

2) Jos. Jacob Plenck, doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776, pag. 89.

3) Robert Willan, die Hautkrankheiten und ihre Behandl. etc. übersetzt aus dem Englisch. v. Friedr. Gotth. Friese. Breslau 1803. II. Bd. pag. 154.

squamarum quarto: Ichthyosi, excrescentias tanquam speciem (Ichthyosin corneam) subordinat. Ichthyosin exposuit: texturam integumentorum corporis rugosam, squamosam, nonnunquam paene corneam, ab internis malis independentem. — Ex his paucis jam elucet, malum quammaxime mutabili sese forma exhibuisse et physicis nosologice ordinare conantibus difficultates haud exiguas opposuisse. Multi quoque omnes illas, quae sub cornuum humanorum nomine describuntur excrescentias, a veris brutorum cornibus structura et forma differre, ideoque cornua improprie dici contenderunt (1). Quam reprehensionem merentur illi tantum, qui permutatione, cujus antea mentionem feci, laborant. Nihil tamen obsistere videtur, quo minus excrescentiae, quae colore, consistentia et partibus constitutivis corneam suam manifestant naturam, etsi forma et structura cornuum animalium consueta saepe paululum abeuntes, cornua nominarentur.

Pauca hocce de argumento commemorarunt medici graeci (2). Heliodorus mentionem fecit cornuum humanorum et curandi etiam indicavit methodum (3). — Plinius (4) historias hominum cornutorum (e. g. Actaeonis, Cipi etc.) fabulosas declarat. — Arabum Avenzoar (5) primus historiam narrat hominis in dorso cornu gerentis. — In tomo II. initiorum bibliothecae medico-practicae et chirurgicae Guil. Godofr. Plouque-

---

1) Anna Carl Lorry de morbis cutaneis, übers. aus dem Latein. v. Christ. Friedr. Held. Leipzig. 1779. II. Bd. pag. 223. Anhang von den Hörnern die in verschiedenen Theilen des menschlichen Körpers entstehen.

Ant. Piccinelli, sull' origine e cura di quelle escrescenze impropriamente chiamate corna umane. Bergamo 1816, p. 1. „Non sono però tali escrescenze vere corna, poichè non sono, come queste, nè grandi nè dure, e differiscono singolarmente per l'interna loro struttura."

2) Lorry, l. c. pag. 223.

3) Piccinelli, l. c. pag. 5. not. 3. Graecorum chirurgici libri, ab antiquissimo et optimo codice florentino descripti, conversi atque editi ab Antonio Cocchio. Florentinae. Ann. 1754, pag. 54.

4) C. Plinii secundi histor. natur. edit. Harduini. Parissiis MDCLXXXV, liber. XI. cap. 45. pag. 536.

5) Libr. II cap. 5.

tii (Tuebing. 1794) sub articulo „cornu hominum" (pag. 623.) non exiguus scriptorum numerus citatur, quibus occasio fuit et observandi et curandi ejusmodi vitii. Innumerae pene sunt historiae, sparsae in miscellaneis curiosis medico-physicis Academ. naturae curiosorum, in transactionibus Anglorum philosophicis, in operibus Gallorum (Journal de medicine, histoire de la chirurgie); in Alb. de Haller elementis physiologiae corp. hum. Tom. V. pag. 30. e. in a.

Scriptores, qui hoc argumentum tractarunt, plurimi in eo quidem consentiunt, quod excrescentiae sedem suam quamplurimum in cute haberent; nec desunt tamen, qui ex unguibus, ossibus aliisque partibus cornua ascendisse viderunt.

Eman. König (1) processum cuneiformem digiti longitudine e pollice pedis, post unguium abscissionem enascentem descripsit. — Locke (2) juvenem vidit quinque annos natum, in quovis apice digitorum manuum pedumque excrescentias corneas gerentem, quarum aliqua in medio digito manus dextrae ultra quatuor pollices longa erat, ambitu vero duas pollices aequabat. Quae quasi inspissationes unguium erant, avium instar ungularum curvatae sed non adeo cuspidatae. — Plenk (3) „hominem" inquit, „quotidie coram me habeo, qui sibi digitum auricularem manus sinistrae in sua juventute intra portam adeo compresserat, ut totus unguis ablatus fuerit; renascebatur loco unguis cornu acutum, quod unguium substantiam habet; admodum crassum et longum fit, si non omni mense resecetur." — Friese (4) virum triginta trium annorum novit in ceteris sanum, cui in manuum pedumque digitis pro unguibus excrescentiae corneae prominebant rugosae. — Saviard (5) vidisse affirmat hominem, cui in utroque pedum pollice pro unguibus cornu, arietino simile, excreverat, semilunare. — Plura ejusmodi

---

1) Miscellan. naturae curiosor. Dec. II. Ann. 10, observat. 144, pag. 208.

2) Leske, auserlesene Abhandlungen aus den philosoph. Transaction. Lübeck 1774, I. Bd. pag. 341.

3) L. c. pag. 115, nota.

4) L. c. Bd. II. pag. 157, Anmerk.

5) Lassus, pathologie chirurgicale. Paris 1816, Tom. I. pag. 360.

exempla collecta inveniuntur in Dissertatione Dr. Blech. (1) — Haec cornua ex unguibus prodeuntia, iisque crassitie et figura nonnisi diversa, quamquam cornibus cutaneis etiam adnumeranda sint, hic tamen prolixius consideranda mitto, quod in Dissertatione cituta aliisque operibus et de hac unguium mutatione morbosa satis agitur. —

Cornu ex osse Fallopius (2) vidisse perhibet et quidem in femore omnino sano, ex quo paxillus corneus, musculis e transverso superatis, supra cutem longe eminens, excreverat. — In Hildani operibus (3) historiam a Barthol. Cabrollio legimus enarratam, de homine quodam cum cornu ex fronte in latus sinistrum exsurgente. Firmiter cranio adhaesisse et semipedum longum, crassum vero pollicem fuisse affirmatur. — De substantia et structura horum cornuum viri celebrr. nil indicarunt, et cum alia in hominibus excrescentiarum ejusmodi exempla deficiunt, illas, nisi ad modum cornuum quadrupedum ossi assertas accipere possimus, re ipsa formationes ossium morbosas seu exostoses, tophos, iisque nil praeter figuram cum cornibus commune fuisse, maximo jure suspicandum est.

In miscellaneis natur. curiosor. (4) casus commemoratur, unicus forsan sui generis, si quis fidei dignum existimet. Presbytero quodam nempe in superficie convexa lienis cornua eruperunt exturgescentia, tanta duritie, ut vix scalpello scabi potuerint. —

Cornua cutanea frequentissime nascuntur (monente Meckelio) (5), in cute non circumvoluta et ex his locis praecipue in capite, fronte, planta pedum, et parte crurum interna (6); nonnunquam et corpus totum corniculis exstantibus horret.

---

1) Ernst. Phil. Blech, Dissert. inaug. de mutationibus unguium morbosis. Berol. 1816.

2) Fallopii observat. anatomic. Venet. 1561, cap. 7. epistol. a Coiter.

3) Guil. Fabric. Hildani opera, observation. et curat. medico-chirurg. Francof. MDCXLVI, Cent. I. observat. 26, pag. 105.

4) Dec. I. Ann. 1, pag. 104. ex Robert. de Fludd. L. IV anat. c. 8.

5) Joh. Friedr. Meckel, deutsches Archiv für die Physiologie. Halle u. Berlin 1815, 1sten Bandes 2tes Heft: Hornbildungen im allgemeinen und insbesondere an der menschlichen Eichel; pag. 298.

6) Picinelli, l. c. pag. 4.

Diversae sunt opiniones de causis, si generatim de cornibus humanis, quam si speciatim de corneis cutis excrescentiis eorumque origine agitur. — Veteres jam observarunt (1): sexum sequiorem virili saepius afflictum fuisse his foeditatibus. — Observationum seriem examinando illud effici videtur, si tres partes ponas, duas foeminas, marem unum hac foeditate affligi. — Excrescentiae corneae sine ulla causa visibili mox post partum in teneris nonnunquam prodierunt, seu statim post foetus e sinu matris egressum in eo conspiciebantur. — Testantur: casus, cujus descriptionem ipse mihi proposui; testantur quoque infantes cum cornibus nati, quorum enarrationem videre est apud Schenkium de Graffenberg (2), Ambros. Paraeum (3), Amatum Lusitanum (4) et Zacut. Lusitanum (5), in miscellaneis natur. curios. (6), in transactionibus philosoph. (7) etc. Attamen unum tantum exemplum legimus, malum tanquam hereditarium a parentibus in prolem esse propagatum. Giovanni di Muralto (8) nempe historiam retulit foeminae, a nativitate excrescentiam in scapula dextra gerentis, duritie et colore corneam, et sensim sensimque ad quatuor digitorum transversorum altitudinem auctam. Duas eadem, octodecim mensium spatio, partu edidit proles, unam foemininam, alteram masculinam, quarum utraque inde ex sinu matris malum portarunt idem, eo discrimine tantum intercedente, quod alteri in latere capitis dextro, alteri in medio pectoris malum illud haereret. — In stirpe anglicana Lambert malum cutaneum quidem observabatur excrescentiis corneis simile in posteros viriles hereditarie pro-

---

1) Piccinelli, l. c. pag. 11.

2) Observationes medicae. Francof. MDC. Lib. I. Observ. XX et XXIV.

3) Oper. chirurgic. Francof. MDXCIV. Lib. XXIV. De monstris et prodigiis. Cap. II. pag. 721.

4) Curation. medicinal. Cent. I. curat. 51.

5) Prax. admir. Lib. III. Observ. 93.

6) Dec. III. Ann. 4. Observ. LXV. pag. 152.

7) Nr. 176. Ann. 1685. George Ash de puella Anna Jakson.

8) Piccinelli, l. c. pag. 8.

pagatum. Celeberr. Tilesius autem non corneae naturae idem fuisse perspicue probavit (1). — In adultis etiam cornua sine ulla causa percipienda gigni constat. — Multis corporibus peculiarem inesse ad ejusmodi excrescentias corneas dispositionem, haud negandum.

Cachinno excipiatur illa Aquapendentis (2) sententia, qua cornu, quod vir quidam supra frontem gestabat, ab affinitate hujus viri cum animalibus cornigeris derivavit. Nec minus credibile est, imaginationem solam producere posse cornua in hominibus; quamquam scriptores nonnulli, et ex his Valerius Maximus (3) historiam narrant Praetoris Romani, qui, quum maxima cum attentione et ardore certamini taurino adstitisset, per totam noctem in somno, cornu capite se gerentem visus est, et paulo post tale ejus frontem re vera occupavit ardentis imaginationis vi.

Nonnulli cornuum productionem a causis internis dependere sibi persuasos habent. — Richter (4) tales excrescentias observavit in foemina post menstruorum suppressionem, easque (altero in casu) in infante variolarum comitem fuisse. — Idem notabilem narrat historiam exanthematis squamosi, cornei (5):

Vir quidam longo tempore vagis arthriticis doloribus infestatus, erumpentibus quamplurimis in extremitatibus corporis, verrucosis, corneis, nigricantibus, nigris, et vario colore tinctis exanthematibus, doloribus expers evasit. Ipsae extremitates tectae quasi erant, nec plantae pedum liberae. Maxima exanthematum aequabant ovum gallinae, erantque squamosa, [variis stratis composita. Substantia exanthematis

---

1) W. G. Tilesius, ausführliche Beschreibung und Abbildung der beiden sogenannten Stachelschweinmenschen aus der bekannten englischen Familie Lambert. Altenburg 1802.

2) Fabric. Lyncaeus, in exposit. histor. Mexican. Nardi Rechi. F. 652.

3) Lib. V. Cap. VI.

4) Anfangsgründe der Wundarzneikunde. Thl. I.

5) Just. Christ. Loder's Journal für die Chirurgie und Geburtshülfe. Jena 1797. Band. I. S. 441.

erat cornea similisque unguibus pedum. — Foemina quaedam (1) anno aetatis suae quinquagesimo sexto insignes dolores capitis passa erat, quibus discussis sub crinibus in fronte tumor cinerei coloris prodibat, qui dein in tres ramos divisus, et fortitudine et colore et figura cervino cornu simillimus erat. — Managetta (2) virum vidit, qui post febrem pertinacem tertianam, excrescentiam in regione decimae et undecimae vertebrae dorsi sensit duram, post longam annorum seriem veram cornu figuram aemulantem et in longitudinem dimidii pedis prodientem.

Ex vulneribus multa originem duxisse cornua, plura legentur exempla. — Vicq d'Azyr (3) cornu vidit tres digitos longum in gena juvenis novacula vulnerati. In loco vulneris oriebatur cicatrix tenuis atque mollis, qua post octo dies iterum vulnerata, durities cornea prodibat in parvum apicem elevata et brevi tempore dictam longitudinem assecuta. — Ex vulnere sagitta facto cornu magnum natum esse testis est Alex. Benedictus (4). — Similis historia refertur ab alio scriptori (5): „Vidimus" narrat „in Creta vulnerato genu sagitta cornu nigrum prodiisse, et materiam, quae in ossis substantiam debuerat converti, aëris afflatu in corneam materiam conversam esse." — Cardinalis de Medici (6) patri sancto Libello descriptionem dedit hominis, cui cornu prodigiosum excreverat ex vulnere cruris neglecto. Materia e vulnere effluens, collae similis indurescens in cornu vetebatur pollicem circiter longum. — Quorsum et spectat Caldani singularis observatio (7). Vir quidam septuaginta annorum, crus dextrum va-

---

1) Christ. Wilh. Hufeland's neueste Anal. der franz. Arzneikunde. Leipz. 1791. 1ster Bd., pag. 447; aus: Gazette salutaire de Bouillon. 1788.

2) Miscell. nat. curios. Dec. I. Ann. 1. Observat. XXX. pag. 103.

3) Histoire de la Societé royale de medicine. 1782 et 1783.

4) Zacut. Lusitanus de medicorum princip. histor. Lib. II. hist. 4.

5) Journal de medicine. Tom. 14, pag. 150.

6) Piccinelli, l. c. pag. 18. (Supplement de Journal de savans pour le mois d'acût. Ann. 1672, pag. 131.

7) Caldani osserv. anat. pathol. osserv. XIII. in mem. della soc. italiana. Tom. XVI. P. 1. pag. 124 ff. — Etiam relata: in Meckel's Archiv für die Physiologie. Halle und Berl. 1815. 1sten Bandes 2tes Heft. pag. 299.

ricosum, pruritu vehementi infestatum, dum sanguis effluxit, fricaverat. Orta inde sunt: erysipelas, oedema, ulcera maligna; tandem post duos annos sanatio. Paulo post pruritus vehemens eum cruciabat inter glandem penis et praeputium phymosi connata coarctatum, et iterum tam acriter fricabat, ut sanguis proflueret. Nonnullis mensibus praeterlapsis e superficie praeputii interna et parte etiam glandis exigua, tumor cancrosus esurrexit. Resectum est praeputium et mox coaluit. Parte autem penis sauciata, tertio post operationem die, protuberantia parva duriuscula prodiit; qua ferro candente tacta, post octodecim dies eodem loco duae protuberantiae similes et paulo serius tertia denuo exigere, quae etiam omnes cauterio amovebantur. Vir tandem e nosocomio dimissus, post aliquot dies corpusculum in medio cicatricis sensit durum insensile, quod altitudine et latitudine celeriter crescens, et cavitati glandis, ita ut apice urethrae orificio oppositum sit, se adflectens, corniculum verum efficiebat. —

Alii excrescentias corneas observarunt ortas ex tumoribus cysticis, qui ad certam magnitudinem progressi rumpuntur, humorem evacuant et ex fundo suo cornu emittunt. — Similes vidit Hume (1), in capite mulieris quinquaginta sex annorum, plures. Aderant primum tumores cystici tarde aucti, demumque magnitudinem ovi gallinacei assecuti; rupti, humorem arenosum edebant. In mediis tumoribus parvae prodiebant multaeque excrescentiae, quae sensim crescentes duriores et tandem corneae evadebant, quarum major quinque digitos longa, utraque extremitate crassa, media parte tenuis et ut cornu arietis curvata et dura erat. — Simile quid idem auctor in juniori foemina vidit. — In museo Brittannico asservatur cornu undecim digitorum, cujus peripheria est duorum et dimidii; ortum quoque erat ex tumore cystico in capite mulieris, et intra sex menses longitudinem suam nactum est (2). — Duo ejusmodi exempla narrat

---

1) Medical Facts and observations. Vol. III. 1792. — Philosophical. Transact. 1791. Vol. 81. — Repertorium medic. chirurg. Abhandlung für pract. Aerzte und Wundarzte. 2. Bd. pag. 253.

2) Cutis morbi ex materiae animalis mixtura et forma mutatis cognoscendi. Dissert. inaug. auct. Joh. Theophil. Schmidt. Hallae 1799. pag. 23.

Piccinelli (1). Foeminae cuidam anno aetatis suae quinquagesimo tumor durus in latere sinistro ossis frontis esurrexit. Continuo leviter pruriens et nonnunquam fugaciter dolens, sine cutis coloris alteratione paulatim auctus et post tres annos nucis avellanae magnitudinem assecutus est. Serius emolluit; tandem fluctuans et rumpere imminens, a chirurgo quodam apertus est sectione cruciato. Humorem lymphaticum edebat et ex fundo materia sevi consistentiae amovebatur. Medicus in cura per tres fere menses hydrargyro oxydato rubro usus est; remansit tamen durities exigua, quae subinde dolens crevit et consistentiam acquisivit corneam. Foemina frustulis, unguibus suis ope, tollendis assidue vacavit; semper autem reproducebantur. Sic annorum duorum et dimidii decursu prominentia evaserat conica, dura, cornea, pollicem parisianum circiter longa. Picinelli eam resecare intentus, digitis tollendo et ad latus flectendo, excrescentiam e radice revellit. In fundo autem remanentis aperturae, quae glumae quasi vices gesserat, frustulum animadvertebatur folliculi non destructum, quo per causticum amoto, cornu non recrevit. — Foeminae alteri, triginta annorum, tumor enatus est in parte anteriori ossis parietalis dextri, magnitudinis nucis avellanae parvae, saepius valde dolens. Sponte ruptus post annum, materiam emisit densissimam et per menses duos mox claudebatur, mox denuo aperiebatur. Dolor tandem plane cessavit, nec ulla materia porro secernebatur; tumor autem auctus est et in prominentiam transiit corneam unum dimidiumque pollicem longam, basi largiorem, apice acuminatam, et paululum curvatam. Frusto folliculi destructo, cornu non rediit, quippe originis causa privatum. — Exemplum tandem huc pertineat a Meckelio (2) communicatum. Mulier quaedam, triginta sex annorum, curru vecta vehementes capitis quassationes passa erat, et exinde quinque aut sex orti sunt his locis tumores, quorum maximus cruri sinistro suturae lambdoideae proximus fuit. Qui per decennium ovi columbini magnitudinem assecutus, tandem emolluit, ictuque fortuito ruptus, magnam per annum humoris copiam emisit. Tunc sanguis et pus emanabant, seriusque exturgescentia erupit mollis,

---

1) L. c. pag. 24 sq.

2) L. c. pag. 300.

dimidium pollicem longa, cujus ex apice, foeminae anno aetatis quadragesimo septimo, cornu curvatum prodiit, intra tres annos, trium digitorum altitudinem asse quens. In cornu hujus ambitu capilli deerant, in quorum loco nonnullae eminentiae tangebantur durae. Cornu resecto, post quatuor hebdomades fungus sensus exquisitissimi cernebatur durus, lineae unius altitudinis et umbellae instar distensus, tres lineas latus, superficie inaequalis, crusta nigrescente tectus. In cornu tandem vertebatur petiolatum, quod in pollicis altitudinem excrescens, fortuito decidit.

Piccinelli, exemplis illis duobus a se ipso observatis firmam ad opioninem adductus, plurimorum cornuum originem ex tumoribus cysticis deducit (1). Et sibi adsentienti Meckelio gaudet (2). Materiam steatomatosam, a folliculo secretam, pro modo, quo augebatur et aëri exponebatur, induruisse et sic figura duritieque quasi cornea indui prior opinatur. — Alii auctores (3) excrescentias corneas sola cutis deformatione productas esse existimant. — Lassus (4) illas derivat a prolongatione papillorum nervosorum et induratione retis mucosi epidermidisque. — Vogtelius (5) sedem putat in rete Malpighiano. — Monteggia (6) prolongatione morbosa cutis et cuticulae illas constare contendit. — Cui Carradori (7) adnuere videtur, si affirmat: duo a se ipso observata et descripta cornua de integumentorum (epidermidis nimirum, corporis mucosi, corii, et telae cellulosae) prolongatione et degeneratione pependisse. — Portal (8)

---

1) L. c. pag. 31.

2) L. c. pag. 301.

3) Memoires de chirurgie. Tom. III. artic. III. des cornes a peau.

4) L. c. pag. 560.

5) F. G. Voigtel's Handbuch der pathol. Anatomie. Halle 1803. 1. Bd. pag. 74.

6) Instituzioni chirurgiche, part. III. sez. I. pag. 79, e tom. 3. edizione second. pag. 90.

7) Osservazione fisiologica sopra due corna umane, sc. p. il Dr. Giovachino Carradori. Prato 1799. — Auch abgedruckt in Wismayer's Fphemeriden der italien. Litteratur. Salzburg 1800. 3tes Heft, pag. 288.

8) Cours d'anatomie medicale. Tom. 4, pag. 387.

cornua epidermidis concretiones appellat; cum quo consentit Schmidt (1). — Lorry (2), qui excrescentiarum, cornuum instar in hominibus occurrentium varias quoad originem species distinguit, unam earum callum seu clavum verum, ambitu autem majorem esse voluit. Alteram a verrucis derivat; cui sententiae alii quoque favent auctores, asserentes: tales excrescentias, et quae in adultis nascuntur praecipue ex verrucis seu porris aggregatis (3) oriri, quae, quo magis cutem superantes surgunt aëremque excipiunt exsiccantem, facile indurescunt (4). — Morgagni (5) in sene cornu vidit quatuor digitos transversos longum ex verruca ortum; juxta quod alterum cornu pullulabat. — Verrucas pensiles et incurvas instar cornuum apparuisse confirmat Borellus (6). —

Illa nunc, quae de productionis cornuum opinionibus collegi, aperte indicant: a pluribus auctoribus causas nonnisi remotas respectas esse. Qui excrescentiarum cutis cornearum originem exponentes, rem diligentius indagarunt, parti cuidam cutis deformatae turpitudinis fundum inesse asserunt. Verbis certe non opus est, ad errorem illum de papillorum nervosorum prolongatione refutandum. Jam Cardinalis de Medici (7) narrationi suae de cornu vulneris neglectu exorto in nota addidit varias opiniones eorum, qui, quod ad naturam materiae spectat ejusmodi excrescentias producentis et nutrientis aut succum nerveum aut serum sanguinis eam esse, judicant. Ipse opinioni postremae verosimillimae adnuit, propterea quod serum sanguinis, salis quantitatem succo nerveo majorem, sui saeculi judicio, continet, et experientia docet, illud serum supra ignem lentum coagulari et collae simile condensatum in massam indurescere tam duram et pellucidam, quam illa colla ex qua cornu formabatur.

---

1) L. c. pag. 20.

2) L. c. pag. 233.

3) Monteggia, l. c. pag 79.

4) Lorry, l. c. pag. 232.

5) De sedibus et causis morborum. Epist. LXV. Tom. 4, pag. 366, §. 2.

6) Centur. I. observat. 14, in observation. medico-physic. Paris 1656.

7) L. c. pag 132.

Si periclitari et quae ipse sentiam de hoc phaenomeno modeste proferre liceat, illis, qui cornua e humana cute nascentia, concretiones seu inspissationes epidermidis dixerunt, maxime sane adnuerem. Occasio, complures ejusmodi cutis turpitudines observandi et structuram earum indagandi, mihi quidem non data fuit; tamen ex exemplo, quod mihi oblatus est serius adducendo, et ex observationibus ab aliis relatis, me argumentari posse credo sequentia:

Excrescentiae corneae cutis humanae, quoad originem et structuram, duas varietates generatim exhibent. Quarum altera, eademque frequentissima, tubera, substantiae quidem corneae interne tamen minus durae, ceterum ruda, informia, rugosa, squamosa, magis seu minus disrupta, fissa, variis stratis, quorum superiora saepe decidunt, composita ostendit. Resecta aut sponte delapsa tardius renascuntur. Epidermidis tantum inspissationes, concretiones, et ejusdem originis esse quam callositates cutis, jam ex structura patet. In circuitu horum tuberum epidermis late evadit durior, crassior, squamosa; quae tubera saepius radice sponte soluta delabuntur, et cutim ubicunque laevem relinquunt. Productio et formatio eorum simplicissima est. Actio aucta organorum cuticulam producentium et excretio materiae illam formantis nimis copiosa, ad ejusmodi excrescentias producendas jam sufficere videtur. Epidermis generatim quidem tenuissima; quam facile autem per causas irritantes externas crassior fieri, inspissari possit, clavi pedum callique non tantum docent, verum et in vola eorum, qui operis manuum vivunt, maxime cernitur. Tuberum corneorum, frictione, compressione, calore magno, veneni chemici tactu nascentium multa exempla leguntur a celeberr. Haller collecta (1). Testes quoque sunt: Deslandes (2), Wockaz (3) e. a. — Quemadmodum natura causis externis irritata agit in cuticulam, ut cutim ab externis nocivis securam reddat, inspissandam, duplicandam: sic etiam per causas in corpore ipso laten-

---

1) Halleri element. physiol. corp. hum. Tom. V. Lib. XII. Sect. I. pag. 16, 58 etc.

2) Bremiches Magazin Bd. I. S. 665.

3) Friedr. Lobeg. Wockaz, diss. inaug. de cuticula e frictione comprimente callosa. Vitembergae 1789.

tes (sint seu causae morbosae, seu nisus formativus vitiose tendens) lacessita, eadem via ac ratione epidermidem spissescit, ut tandem nodosa, tuberculosa evadat et tales prominentias struat. — Formatio horum tuberum corneorum ex laminis epidermidis concretis sequente modo explicanda est: Epidermis productionum cornearum est simplicissima. Corio massa albuminosa modificata exui videtur, quae rigescendo epidermidem format (1). Quam diu hujus nexus cum corio mechanicus et tenuis non turbatur, epidermis parum etiam mutatur, sive occulte desquamando seu defricando separata secedit. Epidermide autem per incitamenta continua seu fortiora, interna seu externa, laesa, aut organis massam illam albuminosam secernentibus irritatis, per actionem auctam epidermis separatur et simul secretio albuminis copiosior evadit. Haec massa albuminosa (si principio cutis morboso adveniente non alienatur et mixturâ male mutatur, quo casu epidermis squamis aut furfuribus delabitur) sensim sensimque sub epidermide laesa seu separata rigescens, novam efficit membranam, quae propter viscidam suam ab initio proprietatem, cum superficie epidermidis veteris interna se conjungens, ejusdem decessum seu desquamationem impedit. Incitamento haud desinente, complura et multa talium stratorum seu lamellorum ad originis et formationis modum conglutinata ascendere possunt sine defoliatione. Ita epidermis morbosa ad cornuum altitudinem evehitur. In minori enim loco generantur sensim plures epidermidis lamellae, aliae super alias, quae prodeuntes, excrescentias monstrosae saepe magnitudinis progignunt.

---

1) Rudolphi, l. c. pag. 176. Celeberr. vir epidermidem judicat, substantiam tantum corneam esse super cutem, rigescentem (pag. 178). — Quotcunque nostra adhuc aetate diversae fluctuent de structura epidermidis ejusque origine opiniones, omnes tamen membranam singularem, omnis irritabilitatis expertem, natura cornea esse inter se consentiunt. Igni usta (Xav. Bichat, allgem. Anatomie angewandt auf Physiologie; übersetzt von C. H. Pfaff. 2ten Theiles 2te Abtheilung. Leipzig 1803, pag. 260), analysin chemicam patiens (Scherers allgem. Journal der Chemie. 1sten Bds. 5tes Heft, pag. 566) se talem exhibet, ut unguium substantiam putes; reproductio tandem in ipsa insigniter conspicua et conditio putredine paene non corrumpenda, naturam ejusdem corneam luculenter confirmant.

Tales accuratissime jam descripsit Schenckius a Graffenberg (1), qui eas in adultiore puella viderat, quae in capite et fere omnibus articulis manuum, cubitorum et genuum magnam copiam cornuum alebat. „Veruntamen" ipse narrat „non sub cute sed super ipsa aborti erant tumores illi et quidem novo quodam generationis ordine. Etenim, velut lapidis generatio contingit in vesica, ut scilicet alia paulatim atque alia super aliam velut tunica adveniente, in magnitudinem increscat: ita et in illis aspeximus plurimas veluti osseas costas sibi invicem inhaerentes, non secus etiam ac si avellanarum cortices dimidios, alterum alteri superimponas, minorem tamen majori, ut in acutum pyramidisque effigiem conjungatur."

Altera cornearum excrescentiarum varietas, quae quidem multo rarior est, structura et forma brutorum cornubus similiorem se exhibet. Etenim hae excrescentiae sunt singulae, graciles, conicae, laeves, duriores, apice obtuse acuminatae et non raro curvatae; plerumque primis insigniorem altitudinem nanciscuntur, resectae celerius crescunt et perraro sponte delabuntur aut micas parvas frustulasque a superficie dimittunt. Qua ex structura propria, apparatum etiam quo nascuntur, magis compositum esse intelligitur. Eodem seu simili certe peculiari, quo ungues et brutorum cornua ungulaeque gaudent, apparatu cutis et vasorum instructae sunt. Ungues nempe sicuti ungulae cornuaque brutorum non exsudatione sola seu depositione materiae corneae ad externa, ut epidermis ex cute plana, formantur, sed cutis plicas et duplicaturas componit, in quibus, quum creberrimae exstant, magna vasorum retia repunt, illam materiam secernentia (2). — Simile quid auctores spectasse videntur, qui excrescentias hominum corneas a prolongatione cutis et quidem retis mucosi, coriique derivarunt. — Plurima ejusmodi cornua, si non connata erant, ex tumoribus cysticis verrucisque orta esse videntur. Frustulum tumoris cystici, multis et haud exiguis vasis propriis instructum et plicam tanquam cum cute, cui adhaeret, componit. Eodemque modo forsi-

---

1) Observat. medic. Lib. I. Observat. XXVI. b.

2) Rudolphi, l. c. pag. 179.

tan verrucae cum permultis eas perrepentibus vasis constituunt focum, quo massa cornea deponitur. Nam verruca ipsa, excrescentia sanguinis pollens, haud insensilis, non est natura cornea, nec crescendo et aëre exsiccando hac natura, ut mihi videtur, imbui potest.

Diversae ita auctorum opiniones de cornuum humanorum origine et paratione inter se fortasse conciliandae sunt; etsi excrescentiarum discrimen, quod jam exposui, saepius non tam distincte expressum se manifestat, ita ut saepe dubium nobis videatur, utri varietati adnumerandae sint.

CASUS MEMORABILIS EXCRESCENTIARUM CORNEARUM IN PEDIBUS CONNATARUM.

Excrescentiarum descriptioni earumque delineationis explicationi nonnulla, quae huc pertineant, ex vitae historia viri praemitto, eaque brevi enarratione sic colligam:

Est vero Carl B . ., excrescentiis, quibus pedes conspersi sunt, a nativitate ex corporis proportione minoribus distinctus, natus anno MDCCLXXX, patre clavario, viro sano et robusto atque matre quoque immaculata, munda. Consobrini (ut ipse referebat) illius vitii expertes fuerunt. Optima, quam parentum ordo permiserat, vitae domesticae ratione educatus, morbos infantiles feliciter exantlavit, nec unquam alio morbo cutaneo foedatus est. Puerilem aetatem egressus clavarii opificium didicit. Diaetae ordinem regularem semper observabat et annis prioribus. Uxor, quam in matrimonium duxerat, infantes ei genuit tres plane immaculatos. — Uno tantum vexabatur totam per vitam incommodo, pedum sudoribus nempe, qui semper et in summa corporis quiete largi manarunt. Ultimis aetatis annis ex nimia (ut contendit) virium contentione in opificio suo, saepius haemoptysi leviori corripiebatur, qua neglecta nunc phthysi pulmonum laborat. — Quod ad reliquam corporis formam attinet, parva atque macilenta ipsi statura est cum pectore plano, humeris elatis, cruribus flexis, paululum incurvis. Habitum phthysicum prae se fert exquisitum.

Excrescentiarum cornearum historia atque descriptio. Vir noster, quod jam antea monui, cum peculiaribus pedum excrescentiis e sinu matris in lucem prodiit. Matrem suam infantis, quem gerebat, pedum turpitudinem praesagivisse et pater et

cognati constanter affirmarunt. Viderat nempe mater, quum mense graviditatis sexto mariti fabricam fortuito adiret, equum ungulo valde deformato, gamboso, tophoso; quo adspectu foedo ita perterrita fuit, ut ejus imaginem post longum tempus nonnisi ex animo repellere posset. Ex quo momento metu, ne deformatio in tenellum transeat, animus semper commotus erat. Sollicitudinem, quam initio clam modo aluerat gravida, mox certa cum fide pronunciavit. Et eheu, quod metuerat, accidit (1). Pedes neonati et praecipue planta dextri multis tuberculis, ex flavo cinereis, rugosis, duris, corniculis simillimis, variam, plerumque pisorum magnitudinem referentibus obsiti fuerunt. — Quae omnia corporis incremento et aetatis progressu ad magnitudinem insigniorem pervenerunt. Calceamenta mollia, lanea defendebant a nimia compressione. Et permulta remedia, domestica praeprimis aut empyrica varia, quae deformitatem eliminarent, parentes, sed frustra usurparunt. Quorum omnium ille, ob dolores tantum summos, quos tunc temporis passus est recordabatur: quod nempe anno aetatis octavo chirurgus quidam, multis inunctionibus, fomentationibus, pediluviis etc. praemissis, excrescentias pedis dextri resecuerat et radicitus resecuisse affirmarat. Veruntamen illud quoque frustra tentatum erat. Nam vulnere post hebdomades nonnullas clauso, excrescentiae mox iterum provenerunt. Nullo medicamine amplius tactae in utroque pede satis cele-

---

1) Relata refero. — Quamquam opinioni eorum, qui vitia primae conformationis certa singularia (sint seu conformatio monstrosa, seu fabrica aliena et situs mutatus) ab affectione imaginationis singulari derivare voluerunt, adnuere dubitavi; tamen ex permultis illis, quae de monstrorum historia leguntur exemplis, probabile videtur: post maximas materni animi perturbationes, magnam in foetu perturbationem atque fabricae mutationem sequi posse. Permulti etiam varie tentarunt ut hanc maternam potestatem explicarent. (Cfr. Joh. Bang's Abhandlungen über Missgeburten, nebst Vermuthungen über die Ursache der Missgeburten. Aus dem Dänichen. Kopenhagen 1801. — J. C. Zimmer, physiolog. Untersuch. über Missgeburten. Rudolphstadt 1806.) Alii iterum rem plane negarunt; horumque princeps, Celeberr. Haller, multis cum argumentis sententiam suam: gravidas naevos prolum futuros praedicere non posse, defendit. (Cfr. Halleri element. physiol. Tom. VIII. Bern. 1766. Lib. XXIV. Sect. II. §. XXVI. e. s.)

riter crescebant. In planta praecipue pedis dextri (Tabul. I. fig. 1.) tubercula, primo singula, sparsa, mox ultro citroque valde extensa ita se invicem occurrerunt, ut seriem tanquam continuam formarent. In sinistro (Tabula II. fig. 1.) autem jam ab initio rara et sparsa nunquam ad magnitudinem illorum in pede dextro provenerunt. — Nonnullis locis massa laevis, conica ascendit; aliis autem et praecipue locis rugosis, disruptis, hirtis, in altitudinem certam provecta micas parvas a superficie sponte dimisit. — Ob nimiam longitudinem et quia incedenti tum incommodum afferebant impedimentum, vir noster excrescentias cultro praesecare saepe cogebatur. Celerius quidem crescebant, quo magis renovato pedum labore humorum affluxus augebatur; nihilominus tamen et ad basin usque resectae et pedibus plane quiescentibus, intra quatuor hebdomades pristinam acquirebant longitudinem.

Parum incommodi vir noster ab excrescentiis sustulit. In basi compressae modo dolebant; eunti autem nulla erat molestia. Maxime autem querebatur de molestia pruritus vix tolerandi, qui pruritus basin tantum afficiebat, pedibus nimia contentione aestuantibus sudoreque madentibus. Porro excrescentiis resectis male ambulavit per paucos dies. Veruntamen non dolores gressum difficilem reddebant, sed sensus quidam potius, quasi pes dexter sinistro esset brevior, qui incessum in via praeprimis lapidosa, incertum, quasi vacillantem efficiebat. Quo miro admonitus, pedum longitudinem sedulo emetitus sum, et dextrum, pollicis quadrantem (si excrescentiarum prominentiam excipis) re ipsa inveni sinistro breviorem; quod diversae excrescentiarum in utroque pede altitudini serius describendae attribuendum.

Excrescentiarum extensionem adjectae tabulae satis demonstrant. Altitudinis maximae conspectum ad naturam pleno nec minuto metro depingi curavi, ex eo pedis loco, quo tubercula a calcaneo incipientia, sub tori forma latere externo plantae medium superabant, quia haec prominentia antecellebant cetera. (vid. Tabul. I. fig. 2.) Reliqua ejusdem pedis cornua, calcei pressione reflexa, non permagna erant. Ita quoque res se habebat cum excrescentiis, quae in pedis sinistri regione calcanei et partis plantae posterioris cernebantur et quinque fere lineas illis in altero pede breviores resederant. Unde, si ad basin usque resecabantur, vir sentiebat (quod jam antea monui)

quasi pes dexter brevior esset, et incessus ejus tum non satis firmus erat; quanto enim excrescentiae pedis dextri illas sinistri longitudine superabant, tanto etiam pes dexter incremento quoad longitudinem remanserat. — Denique adhuc adnotandum censeo cornu illud verum insigne (Tabul. II. fig. 1.) a phalange digiti minimi primo pedis sinistri ascendens et in effigie, medio persecatum; quod sibi relictum, recta directione, in apice obtuse acuminatum, ad pollicis longitudinem et ultra ascendisse vir affirmabat.

Excrescentias semper jam corneas nominavi, redditam ante denominationis rationem. Erant autem coloris ex flavo cinerei, sectione splendentes et laeves, insignis duritiei, insensiles; frusta, illis ungulae equinae, quae, dum soleis munitur equus, resecantur, simillima, igni accensa et analysi chemicae subjecta, proprietates substantiae corneae consuetas exhibuerunt. Sedebant in cute et erant mobiles, ultro citroque trudendae. Ortae erant non sub sed supra cutem ex epidermide inspissata, ita ut cornua cutanea gigni generatim exposui. In circuitu excrescentiarum epidermis durior, crassior prominebat. Quo propinquior tuberculis, eo magis qualitatem duriorem, corneam suscipiebat, unguibus similem, in squamis et frustulis, quae nonnunquam deciderunt, pro cutis sulcis incisionibusque disruptam, dum in illas prominentias tollebatur. Ex figura 2. Tabulae I. epidermidis lamellae optime conspiciuntur, quae, aliae super alias firmiter conglutinatae, tubera composuerunt. His locis strata superiora seu exteriora interdum etiam deciderunt quasi friabilia, exsiccata, nascentibus cedentia. Aliis locis autem illa tuberum structura squamosa non tam conspicua est (fig. 1. Tabulae II.) quae ne fricando quidem substantiam amiserunt. — Omnia cernuntur magis seu minus fissa; unde illae figurae pyramidales, rhomboidales etc. Quarum fissurarum nonnullae tantum ad basin penetrabant; ceterae modo superficiales erant. Sulcis cutaneis correspondere et ex pedum motu flectuque ortae videbantur; nam pedibus per longum tempus quiescentibus erant rariores, iisque locis, qui gressu minus flectebantur. —

Squamarum, quae in circuitu tuberum scatebant, nonnullas sicuti tubera minora e radice tamquam avellere tentavi, sed frustra. Corio firmiter, ita ut epidermis sana, adhaerebant. Tubera ergo relinquere coactus sum, nimium ob dolorem, quem digitarum trahens vis excitabat; squamae autem medio frangebantur. Alio loco tubercula non

nulla cultro lamellatim resecui. Sectiones basi proximae facilius ducebantur, quod massa minus dura rigidaque cultri aciei minus resistebat. Nonnullas post horas superficies quasi viscida, glabra tangebatur. Sectio ultima, quae sanginem eliciebat, tantummodo dolorem attulit.

Facile induceris, praecipue si figuram 2. Tabulae I. respicis, ut hanc cutaneam turpitudinem illi persimilem judices, quae in viris ex stirpe Anglicana Lambert observabatur (1). Quibus malis autem hoc discrimen inest. Excrescentiae nostri viri sunt: 1) non hereditariae; 2) Virorum illorum cutis crustae duriores, tenaciores tamen, coloris cornibus consueti, nec tam multis fissuris disruptae; 3) firmiores cuti adhaerent; pleraeque non intermittendo altius ascendunt; nonnullae tantummodo a superficie micas parvas dimittunt; 4) Ex fissuris nulli pili prorepunt; 5) Excrescentiae chemica in analysi partes constitutivas substantiae corneae consuetas monstrarunt. (Cutis crusta virorum Lambert copiam terrae et adipis justo majorem gerebant (2).

Nuperrime vir mortuus est, cujus in commentatione excrescentias exposui. Pedes raritatis causa amputati sunt, et alcohole submersi in museo anatomico reservantur. Quum autem alcohol non satis tueri videbatur, cuticulam unius pedis, (quantum fieri potuit) detrahere, eamque cum excrescentiis adhaerentibus exsiccando reservare decretum est. Squamae et laminae parvae, quae in tuberum ambitu prominuerant, alcohole ita emollitae fuerunt, ut tanquam massa caseosa ab epidermide firmiori sub-

---

1) Acta Anglicana nempe commemorabant hominem, cujus tota cutis spinis quasi ac verrucis hirta atque deturpata erat, quique „the Porcupin-Man", quasi histrici similis nominatus erat. (Vid. Philos. Transact. 1755, 49, pag. 21. — Eduard Gleanings of natur. history. Vol. I. pl. 212.) Serius Celeberr. Tilesius ex filiis illius viri morbum hunc rarissimum cuticularem descripsit et declineavit luculentissimeque excrescentiarum naturam demonsravit. (Vid. pag. 8. (1).)

2) Vid Tilesius, l. c. pag. 40.

jacente deraderentur. (Quae massa autem accuratius perspecta, ex permultis granulis albidis composita erat et digitis trita illae substantiae furfuraceae simillima se exhibuit, quae a corpore sordido loto dimissa, aquae innatat.) Cuticulae detractio a corio facile, iisque locis, quae tuberis obsita erant, facillime (1) successit. Loca corii tuberis subjacentia, prae ceteris, quibus cuticula sana adhaeserat, rubore insigni notata fuerunt, et pro tuberum altitudine et latitudine magis aut minus impressa, scrobiculos, impressionibus digitatis calvariae haud absimiles, sese praebuerunt. In illo rubore reticula vasorum sparsa jam oculis inarmatis haud obscure distinguebantnr, quae aderant ut massa cornea uberius secerneretur. —

1) Ratio verosimilis est, quod in iis locis pilorum defectus exstitit.

Nota. Benevolus lector mendam observet lythographi, qui, quum converse icon primum tabulae IIdae lapidi inscribere fas esset, errorem fecit, ita ut, datam delineationem eodem modo describeret, quo evenit, ut dextra sint, quae sinistra esse deberent et vice versa.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Effatum illud celeberrimi Frank: „Quo sensibilius organum, eo frequentior in illo inflammatio" non omninò verum.*

II. *Influxus nervorum cerebralium in permutationes sanguinis chemicas, seenndarius.*

III. *Artem medicam per monachos, praesertim medii aevi primis initiis, non auctam sed retardatam fuisse.*

CURRICULUM VITAE

E DECRETO

AMPLISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DISSERTATIONI ADJECTUM.

Carolus ego Ferdinandus Ernst, natus A. MDCCXCIV, Lithuaniae pago Wischwiliae, matre mature extincta, in patris parochi aedibus, quem quoque nunc mihi mors abstutit, cura genitoris fratrumque natu majorum, litterarum principiis imbutus, infantiae annos transegi. Tredecim annos natus Gymnasium Tilsense adii et per quadriennium frequentavi. Examine pro maturitate absoluto, Albertinae universitatis Regiomontanae civibus adscriptus, praelectionibus interfui: philosophicis Poerschkii et Herbarti, philologicis Delbrueckii, historiae politicae Huellmanni, physicae et chemiae Hagenii, zoologiae et botanicae Schweigeri, anatomiae et physiologiae Kelchii, pathologiae generali Remeri. — Illud autem tempus accidit, quo, rege clementissimo juvenes ad arma vocante, studiis ego relictis, non armis tamen, sed sauciorum militum saluti vires consecravi, et in nosocomio castrensi Nr. II. chirurgi munere functus sum per viginti menses. Bello finito, sub finem anni MDCCCXIV, a munere solutus, hanc almam universitatem adivi, ejusque civibus adscriptus, pro viribus incubui studiis, ut scientiam meam magis excolerem. Praeceptores mihi fuerunt: zoologiae Lichtenstein, physices Ermann, anatomiae humanae Knape, anatomiae tam humanae quam comparatae et physiologiae Rudolphi, pathologiae specialis Horn, materiae medicae Osann, therapiae Hufeland. — Sub finem anni MDCCCXVI Vindabonae me contuli, ibique

studio medicinae et chirurgiae, praecipueque artis ophthalmiatricae, ducibus viris doctiss. Hildendrand, Beer, Zang, Kern, Goelis aliisque incubui. In patriam redux, denuo in universitate Berolinensi virorum illustriss. doctrinis gavisus sum, et praecipue exercitationibus clinicis virorum celerr. Hufeland, Horn, Rust et Graefe, interfui. Hieme anni MDCCCXVIII, cursum anatomico-chirurgicum demonstrationibus jussis absolvi, atque nunc tentamine examineque rigoroso coram gratiosa facultate medica peractis, hanc dissertationem publice defendendam conscripsi.

Tab. I.

Fig. 2.

Fig. 1.

Steinmüller sc. J. Eschen.

Tab. II.

Fig. 2.



Fig. 1.